


9+10/83

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMLXXXIII



RVMOR VARIVS



TOMUS 6

FASC. 43

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in aedi-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 18.--
In Austria	ÖS 130.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:
(jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 18.--
Oesterreich	ÖS 130.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

DE FERIIS HOC ANNO IN ITALIA PERACTIS

Narrationis pars secunda

Cari legentes,

In fasciculo XLII scripsi me cetera de feriis in Italia per-
actis narraturum esse. Illud promissum nunc, si placet,
solvam.

Unus e ministris, qui in deversorio me versus Vergilii (1)
recitare audiverat, accurrit et ridens dixit: "Miror, quam
eloquenter tu, cum sis incola Helvetiae, Italice loqui
scis, cum tua vox auribus meis aliquibus erroribus lin-
guae commixta sit."

Non ausus sum eum docere me illos versus non Italice, sed
Latine, dixisse, eo minus, quod fortasse comitate in hospi-
tes solitā motus dixerat, quae ipse vera esse non putaret.

Tamen desiderium me implevit experiendi, utrum lingua La-
tina mihi, qui linguae Italicae peritus non sim, instru-
mentum idoneum esset, quo cum incolis in vico Gabicce col-
loquerer. Diebus, qui sequebantur, una cum uxore et libe-
ris per vias vici ambulabam; tabernas frequentabamus, ut
res ad vitam cotidianam necessarias et - heus! - saepe mi-
nime necessarias emeremus. Hic ego colloquens cum vendi-
toribus verbis a me fictis, radicibus Latinis compositis
utebar, ubi verba recta Italica mihi ignota erant. Quando-
cumque ita feceram, miraculum ortum est: Venditores enim,
cum interdum riserint, plerumque facile intellexerunt,
quid emere cuperem.

Hoc experimento probatum est linguam Latinam etiam hodie-
nis temporibus instrumentum esse maxime utile colloquiis
cum alienigenis habendis.

His feriis autem tot tabernas emendi causa frequentavimus, quot vix dicere possum. Nam uxor et liberi semper habebant, quod emere cuperent. At ego, qui in feriis saltem rixari nollem, eos facere sinebam, dum res parvo pretio emerent.

Scilicet plurimum tempus feriarum degimus ad litus maris Adriatici otio dulci fruentes, in aqua natantes, in harena sub sole dormientes, disputantes cum hospitibus, quos in deversorium nostrum ex omni parte terrarum confluctos noveramus. XIV dies vacationis (2) nostrae tali modo celerius fugerunt quam optaveramus. Ubi dies venit, quo die nobis domum revehendum erat, director deversorii mihi quattuor lagonas dedit, quarum duae vino rubro, duae vino albo completae erant.

"Istas lagonas" inquit "donum tibi carisque tuis datum domum feras; iis, dum vacuae non sint, semper memoria teneatis dies felices nunc iam praeteritos." Directori gratias egi; hoc dono felicissimus uxorem quaesivi, ut ei lagonas monstrarem. Quae, ubi me tot lagonas afferre vidit, exclamavit: Nos miseros! Unde has lagonas apportas? Num oblitus es copiae vini, quam domi in cella servamus? Nonne meministi potiones tementum (3) continentis, quas nuper hic - minore pretio quam domi vendunt - emimus? Considera etiam portitores, qui nos apud fines impediunt quominus tot lagonis tementum continentibus onerati patriam intremus! His verbis uxoris perturbatus auriculas demisi sicut asellus aqua gelida obrutus. Quid nunc facerem? Donum directori reddere nefas erat, donatorem insuper offendisset; potiones emptae tabernis reddi non poterant; tantum numerum lagonarum furtim in patriam importare non audebam propter poenas, quae talia conanti a portitoribus deprehenso imminent. Denique filius, puer septem annorum, solutione inopinata nos parentes servavit: "Cur rixamini?" interrogavit, "Cur non copiam vini bibendo diminuitis?" Quae cogitatio filio patris digna a parentibus subito in factum versa est: Unā cum amicis, quos nobis in deversorio fecimus, vesperi ante profectionem ad iter domum faciendum lagonas in cubiculo exhausimus.

Nocte denique post breve somnum autocineta domum profecti sumus. Quomodo hoc iter factum sit, dicere vobis, cari legentes, non possum, nam uxor autocinetam gubernavit, ego autem

vino plenus e somno placido non excitatus sum antequam fines patriae transgressi sumus.

Valete!

Udalricus Aeschlimann

- 1) conferas fasciculum XLII, pag. 76
- 2) vacatio, -onis, f. Ferien, Urlaub
- 3) tementum, -i, n. Alkohol

Facete lepideque dicta

Aliud fieri non potuit.

Alter: O tetemet miserrimum infelicissimumque, qui tute uxorem sepelire debueris!

Alter: Relinquamus illum casum, nam aliud facere non potui, fuit iam uxor mortua!

* * * * *

In deversorio Reipublicae Germanicae Democraticae.

Deversor quispiam in deversorio: "Caupo," inquit, camarus autem ille solum unum habet brachium!" Tum caupo: "Existimo camarum illum brachium illud pugnando perdidisse!" - "Si res ita se habet," deversor stomachose inquit, "affer mihi quanta maxima potes celeritate victorem!"

DE LECTIONE CUM DISCIPULIS NUPER HABITA NARRATUR

Ovidii Vergiliique mille circiter versibus lectis nuper in classe primum accessimus ad carmen Horatii, cuius stropham primam hic infra litteris mando:

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli.

"Eheu nos miseros!", exclamavit Iacobus, "Intellego nihil nisi Bahnhof", aliusque ingemuit: "Quam difficile carmen! Iam metrum plane inexauditum. Tuque, magister, nos speras verba ista umquam esse intellecturos?" Nolite desperare, pueri! Ego quoque olim plus quinquaginta annis ante desperabam, at hodie carmina Horatii nec lectu neque intellectu difficilia iam videntur esse.

Primo memoriae mandate metrum, quod Alcaeicum dicitur secundum Alcaium, poetam Graecum, qui primus hoc metro egregie usus est. Ecce metrum:

⏏ — — — — —
⏏ — — — — —
⏏ — — — — —
— — — — —

Quod metrum moneo, ut diligenter discatis, ita ut proxima lectione expedite legere sciatis. Attendite animos syllabas non acutas (unbetonte Silben) non esse necessario breves, ut exempli gratiā syllaba prima. Nunc primo de sententia strophae, quam nostro sermone vobis reddam, deinde de singulis verbis formisque loquemur. Sententia totius fere haec est: "Denk daran, in schweren Zeiten Gleichmut zu bewahren nicht anders als in guten Zeiten, (eine innere Ruhe), die (wenn es

dir gut geht) frei ist von übermässiger Freude (bedenkend), dass (auch du) einst sterben musst, (lieber) Delli!" Sine dubio animadvertistis me aliqua verba adiecisse, quae in textu Latino non invenitis. Quae verba necessario addidi, quia in nostro sermone pluribus verbis opus est, ut, quid Horatius dicat, intellegatur. Praeterea audivistis me solutis verbis (in Prosa) stropham reddidisse. Si magnus poeta ut ille Schiller noster essem, fortasse aequae poetice vertissem atque composuerit Horatius. Nunc autem: quae est sententia strophae primae, quid sibi vult? Tu, Petre, quid tibi videtur? Dic plane et dic Latine, si audebis! - Audeo et temptabo: Horatius mihi videtur monere Delli, quem Horatii amicum fuisse conicio (vermute), ut sit nec nimis hilaris (heiter) in rebus bonis nec nimis tristis in rebus adversis. - Recte dicis, Petre mi, profecto intellexisti. Porro (weiter)! Quomodo vox "aequa mens" reddemus sermone nostro? Tu, Anna, quid commendabis? -

Proponam vocem nostram "Gleichmut" -

Perbene! -

Noli me laudare, magister, cum tu iam ita vertisti! -

Mehercle, recordor me iam vertisse! Attamen vox "Gleichmut" nostris temporibus, a iuvenibus quidem parum usitata est. An tu scis vim vocis? Vel umquam cottidiano sermone hac voce usa es vel quemquam usum esse audivisti? -

Concedo me neque ipsam umquam esse usam neque alium quemquam audivisse utentem. Sed ut accuratius loquar: in ludo Latino, in nostra classe certe, in lectionibus tuis, interdum me vocabulum audivisse teque, magister, explicavisse recordor. -

Quam attenta quamque diligens fuisti, ut etiam nunc memineris, mi Anna! Re vera iam in libro Ciceronis, qui inscribitur "De officiis", vocabulum aequae mentis invenimus tumque occasione usus sum explicandi, quae sit vis vocis. Nunc autem interrogo, utrum "Gleichmut" sola vox fuerit an aliam etiam usurpaverimus. Tu, Carole, quid meministi? -

Memini voces "Gemütsruhe" et "Seelische Ausgeglichenheit". -

Gratias tibi ago, Cárole. Plane intellegere videris vocem Latinam. Nunc autem ad aliam quaestionem transeamus! Cur Horatius Dellium suum monet, ut etiam in rebus bonis aequitatem mentis servet? Namque facile intellegimus, cur moneat, ut sit aequae mentis in rebus arduis, sed cur monet, ut etiam in bonis? Cur non debeat amicus insolenti laetitia esse, cum omnia tam bene eveniant, ut vel laetissimus possit esse? Cur in bona fortuna non laetietur insolenter? Cur non sit laetandum insolenter et cordicitus (von Herzen) et sine limite, cum arridet vel Dellio vel nobis fortuna bona? Ego quidem confiteor me non intellegere consilium istud. Tu, Caecilia, quid tibi videtur? Fac audiamus! -

Ego, si aperte dicere licebit, sapientissime dicam Horatium iudicavisse. Namque qui in bonis rebus nimis laetatur, ille in arduis nimis dolet. Qua de causa Horatius suadet monetque, ut fortunae, quaecumque sit, supersedeamus, idque est, rebus, quaecumque accidant, ne nimis moveamur. Quae praeterea Stoicorum (der Stoiker) etiam est doctrina, nisi fallor. Horatius autem, philosophia Stoica imbutus nihil aliud docet nisi quod a Stoicis didicerit. -

Nihilne aliud? Nonne putas Horatium verba illa facere potuisse, etiamsi Stoicorum philosophiae fuisset ignarus? -

Ignoro. -

Ignoras? Neque tamen miror tam bene te verba Horatii intellexisse, quippe quae sedulo Stoicis studueris. Et re vera Horatium apertum est multa Stoicorum imbibisse. At quid de nobis? Quid nos, nostrates, homines nostri saeculi, pueri puellaeque, vel etiam proveci aetatis, qui sunt ut ego, iudicemus de philosophia Stoicorum, quid de adspectu et de opinione vitae, quam profitetur Horatius? Quid adhuc nos postest docere? Tu, Corinna, quid tibi videtur? -

Meo iudicio Horatius adhuc dignus est, cuius consilium sequamur. Aetas nostra quidem non est ea, quae fuit Romanorum, sed sors hominum semper est eadem. Mortales sumus et nimis propensi ad laetandum in bonis rebus et in arduis rebus ad dolendum nimis. -

Philosophus es vel potius "philosopham" te, cum puella sis, i.e. animal generis feminini, dicerem esse, si vox esset Latina. At "philosophae", ut scis, temporibus Romanorum non exsistebant. -

Idque est, quod Romanis et omnino temporibus antiquis opprobrio facio, quod feminas non iudicabant philosophari posse. Confiteor me saepenumero mirari, cur adhuc litteris studeamus eorum, qui tam misere feminarum neglexerint iudicium. -

Neglexerint, dicis? Vehementer erras, Corinna mi. Immo vero plurimi aestimabant Romani iudicium feminarum, quatenus quidem res domesticas. Ad philosophandum tantum putabantur feminae esse ineptae. -

Sed cur ita? Interrogo saepe atque iterum. -

Aegre fero, mi Corinna, quod tibi respondere nequeam. Ex altera parte autem feminas antiquas puto ne ipsas quidem philosophari voluisse, quippe quae aliud nihil curarent nisi familiam, rem familiarem et, summum, salutem publicam. Philosophari autem de bene beateque vivendo res illis videbatur esse inutilis. -

Concedas, ut dubitem, num res ita se habuerit! -

Dubitare licet. Nunc autem, si permittes, transeamus ad alium locum strophae. Quid vobis videtur de loco "moriture Delli"? Quomodo vertemus in sermonem nostrum? Tu, Philippe, loquere! -

Propono nostrum "Da auch du einmal sterben musst, lieber Dellius". -

Bene vertis, Philippe. Eximie placet mihi, quod causali usus es enuntiatione. Attamen facere non possum, quin intérogem, num mors quae omnibus nostrum impendet, re vera adducere nos possit, ut aequam mentem servemus. Cur aequa mente vivamus morte impendente? Potius censeam ea ipsa de causa, quod moriendum sit, immoderate, vel effrenate vivere potius esse hominis sapientis, ut semel certe brevique tempore quam maxime vitā fruatur. Quid subrides, Corinna? Tibine aliter videtur? -

Concedas, quaeso, ut aperte loquar! -

Dic aperte! -

Mihi, optime magister, hoc tempore parum sapienter locutus esse videris. Peto veniam verbi. -

Veniam habes. Sed iam campanam auditis sonantem. Ite, lectio missa est! Propédiem de ceteris strophis.

Dr. Emanuel Bernard

MONUMENTA HISTORICA

Bratislavae Urbis gentis Slovacae

Multa monumenta historiae in Urbe Bratislava gentis Slovacae exstant, quae visitorum huius urbis admirationem magnam iniciant. Qua de causa Urbs Slovacae gentis a. MDCCCCLIV exceptionem statutalem inter urbes alias adeptam est.

In summo monte supra Danubium castrum in saec. IX exstructum eminet, potens propugnaculum regni Magnae Moraviae factum est. Maria Theresia regnante castrum reconstructum erat, sed denuo a. MDCCCXI incendio magno deletum est.

Praesentem faciem huius castrum ad usum litterarum artiumque collendarum sed etiam ad praestantionem administrationis supremae cura rei publicae obtinuit.

Sub monte castrum Domus S. Martini invenitur, qua reges Hungariae coronas regales accipere solebant, in stylo gotico exstructa. Iuxta Domum aedificium seminarii sacerdotalis est.

Haud procul loci eiusdem visitatores Urbis palatium de XVIII saeculo admirantur, temporibus nostris huc Bibliotheca Universitatis Comenianae collocata est, olim tempore sedes Consilii regni Hungariae erat.


In via Jirascova nominata a. MCDLXV Academia Istropolitana condita regnante Mathea Corvino, prima Universitas gentis Slovacae. Notum est Franciscum Liszt in horto unius domus viae eiusdem artem musicam colluisse.

In via Capitulae a. MDCXLI - II aedificium Collegii Emerici exstructum est.

Vetus ecclesia Clariscarum hodie ad usum Pinacothecae Urbis apparet. Sed aliae quaedam ecclesiae Urbis nostrae admiratione magna dignae sunt. In plateis Urbis admirari possunt multae statuariae clarorum artificum, qui in temporibus variis urbe vivebant.

In finibus Urbis construuntur adhuc multae series domorum, ad commoditatem vitae aptae atque multa et recentissima deversoria, cinematographica, campi athletici ludorum variorum causa aedificata. His omnibus vita incolarum Urbis nostrae felicior uberiorque sit ad commodum omnium.

Vojtech Letko



Aenigma

1. statuo
2. alimentum in horto crescens
3. hoc tempore
4. gens Italiae

¹	²	³	⁴
²			
³			
⁴			

Hoc aenigma finxit Daniel Weissmann

S O L V T I O N E S

aenigmatum, quae vobis in RVMORE VARIO 5+6/84 + 7+8/83 proposuimus, hic demonstrantur:

¹ I	² S	³ T	⁴ E
² S	T	Y	X
³ T	Y	R	I
⁴ E	X	I	I

5+6/83



¹ I	² U	³ N	⁴ O
² U	X	O	R
³ N	O	T	A
⁴ O	R	A	E

7+8/83

Facete lepideque dicta

Iterum apud medicum psychiatrum

Medicus psychiater: Gaudio affectus sum, quod te video, quomodo valet coniux tuus?

Aegrotans: Non nupta sum, professor mi!

Medicus psychiater: Si res ita se habet, quae cum ita sint res, maritum tuum adhuc caelibem esse puto!



Inter amicos.

A: Recte dixisti, amice mi, uxorem meam extrinsecus non esse pulchram, sed intrinsecus revera eam pulchram esse scio!

B: Si res ita se habet, qua re eam non vertis?



Iterum in deversorio.

In deversorio luxurioso vir quispiam magna voce conqueritur: "Catillus meus plene madet (umidus est)!" - Tum puer cauponius: "Veniam abs te" inquit "peto, sed iam est sorbitio!"

Amicus

LAUS BIROTAE

Mir si mit em Velo da

1. Est birota res practica,
non obest celebrando.
Ne timeas iam vigiles
incumbens tu potando,
regresso multā nocte te
non eā rumor fit,
vicinos non sollicitas,
tranquilla te vehit.
- Adsumus cum birota....
(sexies cantandum!)
2. Puellam apud hospitem
pulcherrimam cognovi.
Quam retinerem quo modo,
in animo commovi.
Relictā autoraedā tunc
advēni birotā:
mirantes clamant feminae:
"Haec est audacia!"
- Adsumus cum birota....
(sexies cantandum!)
3. Altissimos ascedere
mi montes valde placet,
ascensis at culminibus
mens mea stupens tacet.
Nam quis iam multa ante me
in summo monte stat?
Virorum chorus maximā
iam voce hic cantat:
-Adsumus cum birota....
(sexies cantandum!)

4. Est aēr pollutissimus
fumis periculosis,
sunt autoraedae plurimae
viris ambitiosis.
Sum minus velox birotā
- hoc notum mihi est! -
naturae pulchritudo sed
servari sic potest!
- Adsumus cum birota....
(sexies cantandum!)

Martinus Meier



Litterae ad legentes

Nuntius ad legentes ubique terrarum habitantes

Felicissime accipiam inscriptiones cursuales quam maximas Rumorem Varium legentium Latinitatisque cultorum, qui extra Europam vivunt. Optatissimum enim est mihi scribendi commercium habere et pergere Latino sermone et temporibus nostris cum incolis remotissimorum locorum.

Omnes, qui hunc nuntium legunt idemque desiderium habent, rogo ut mihi respondeant litteris.

Inscriptio cursualis mea est haec:

Prof. Florindo di Monaco
Via Michele Monaco 152

I-81054 San Prisco
Caserta/Italia

Magnus nuntius faustus propitius

fere incredibilis

In nostra quoque urbe Palo nomine, quae totius Beneharnensis regionis princeps est urbs, hodiernis his nostris temporibus regionalis statio radiophonica instituta est, cuius transmissionis radii in tota Aquitana regione accipiuntur.

Haec regionalis Palensis statio nummis publicis condita est partim e variis municipiis regionis provenientiibus, partim a rei publicae aerario et etiam nummis privatis a ditissimorum civium generosa liberalitate donatis, qui generosi cives una cum legatis e municipiis designatis stationis rectorum collegium formant XV hominibus constans, XIV videlicet consiliariis quibus praeest augustus urbis Magister fere divino intumescens iure.

Ut saepe omnibus industriis civitatibus accidere solet, ubi huius novitatis fama urbem invasit et de transmissionibus curandis disputare inceptum est, multi orti sunt appetitus de multis variisque rebus per undas dicendis: quaeque athletica ars, quisque ludus ius suum loquendi reposcebat, singulae quoque artes sive liberales ut ex.g. medici, advocati, sive opificum ut ex.g. fabri lignarii, sive quaeque operariorum consociatio aliquid praecipuum dicendum habebat; ultimi verniculorum sermonum cultores venerunt requirentes, ut variis popularibus loquelis, ut ex.g. Occitana, Vasconica, Provincialis, Catalana atque adeo Zamenhofiana mala vox aliquid latrandi haberet per iniquas undas.

Quibus appetitibus cum augustum XV hominum Concilium constanter annueret, Lyceorum discipuli studiorumque Universitatis studentes Latinum discentes sermonem in radiophonicis transmissionibus Latino sermoni quoque locum petere voluerunt; itaque selecto per suffragia parvo Latine loquentium manipulo, animosus Latini sermonis defensorum grex ad augustum XV sapientium et ad aulicum magistratus urbis limen liberaliter admissus est.

Die statuta horaque certa indicta hic noster audax Latini sermonis propugnatorum manipulus aedes municipales petit. Primis difficultatibus a sollemni paludato ianitore adductis, qui Cerbero similis offam ab ingredientibus poscebat, superatis, adulescentium manipulus sollemnes marmoreas municipii scalas reverenter ascendit per scalarum latera diligenter transiens, quod medium iter pretioso purpureo stramento decoratum proterere nolebant, ne nobilis illa exornatio divina luce fulgens calceorum caeno oblineretur.

Attoniti, curiosi, timidi ad magnam exedram pervenerunt, ubi multi petitores considentes patienter expectabant, ut in augustum rectorum conclave admitterentur. Novis difficultatibus superatis apparitoris operā, qui ditissima augustaque veste, quae Anglice frac nuncupatur, indutus, ubi adulescentium manipulum pervenire vidit et priores expectantes propter insolitum magnum adulescentium adventum fastidire et timere animadvertit, timidus propriarum manuum crepitis augusti conclavis portam devote pulsavit. Ab interna parte quaedam molesta rabiosa vox auditur rogans: "Quid est?" Apparitor tremebundus incerta, tremula manu dexteram portae augusti conclavis valvam breviter aperuit et inclito corpore timidā voce ita fatus est: "Auguste praeses, excellentissimi moderatores, hic multi sunt qui expectant et nunc adulescentium manipulus vix advenit..." et ita dicens propter nimiam servilem corporis inclinationem dubius, anceps, varius rumor auditur, dum alae eius vestis rigidae sublevantur et inter infelicis apparitoris nates inter bracarum nigritudinem album alborum femoralium foramen apparuit. Ad hoc insuetum spectaculum, ad hunc insolitum dubiumque rumorem, manipulus magnum iucundum risum retinere non potuit, propter quem apparitor iratus valde erubuit manusque ad occultandum foramen, ad minuendum rumorem ambas suas attulit.

"Praecedant risores, sequantur taediosi!" ab interna parte rabiosa clamat vox.

In augustum moderatorum conclave adulescentium ingressio irrationibus magnis salutata est multisque additis rumorosis cachinnis.

"Quid volunt isti lactantes? Cunabula! Cunabula! Ite, ite, pueri, in cunabula!"

Nihilominus magnificus Magister Urbis his verbis manipulum allocutus est: "Rogatis ut Latino quoque sermone emittantur transmissiones? At ubi Latinus adhibetur sermo?"

Unus e manipulo inconsultus: "Undique! In omnibus terrarum orbis nationibus!"

Magister urbis: "Mendax, arrogans!"

Alter e manipulo, acutior: "In omnibus totius mundi Lyceis, in omnibus Studiorum Universitatibus, in omnibus totius mundi ecclesiis, in omnibus monachorum conventibus, in tota Urbe Vaticana."

Hac sententia audita moderatorum grex in altis prorupit cachinnis.

Magister urbis: "Mendax, arrogans, contumax!"

Tertius e manipulo, studiosus: "Veteres Romani Latine loquebantur...."

Magister urbis interrumpens, facete: "Et iuvenes?"

Quartus e manipulo, doctus: "Iulius Caesar, Vergilius, Titus Livius, noster conterraneus Ausonius Magnus, noster conterraneus Rabelais, Hispanus Seneca, Afer Augustinus et alii, omnes Latino sermone scribebant...."

Audiuntur cachinni. Tum magister urbis: "Nisi esses audax, protervus et contumeliosus, nisi hos tuos similes huc pro testimoniis adduxisses...."

Quintus e manipulo: "At sunt mortui...."

Magister urbis: "Nisi omnes mendaces essetis, licentiam rogam tam concederem...."

Manipularii una voce: "Concede, quaesumus, saltem per notissimam clementiam tuam!"

His laudatoriis verbis de se ipso auditis contentus, investigationem concludere voluit, quia fere tempus prandendi erat et omnes magnifici moderatores sive fame oscitabant sive taediosi pigre somniculabant.

E caelesti suo trono surrexit Magister urbis pedem vehementer supplodens, quia pedes formiculosos habebat, et rogare decore volebat collegarum opinionem ut indicent elevandis manibus.

Improviso rumore pigrescentes somniculosi moderatores expectati alius unam manum, alius attonitus ambas manus protendit Hitleriano more; at unus eorum summo taedio invasus fame marcens somniculabat, fumans incensum sigarum tenens inter digitos prope pulverulentum cinerarium, propter magnam mentis confusionem erravit: flare volebat supra sigarum, et contra supra cinerarium vehementer flavit ita ut totus pulvis ad Magistri urbis thoracem vultumque ascenderit et amborum oculos obcaecaverit; volebat demittere sigarum in cinerarium et contra in os suum immisit et ussit labra et linguam et rabiose propter dolorem latravit, dum moderatorum grex magnis itineribus in pompa fere Indica properat ad municipale thermopolium sapidis aperitivis sorbendis.... Praeter, duos: magistrum urbis et fumificatorem, qui una balneum petierunt, unus ad purgandos profluente aqua vestem et oculos, alter minuendis doloribus vulnerum, quae in labris et in lingua apparebant pustulis iam orientibus.

Hi duo infelices aperitivis caruerunt magna cum molestia, quia illa die aperitiva Italica ministrabantur: Aperol, Cinarra, Fernet Branca, quae ventrem spaghetis vorandis proclivem faciunt.

Nostrorum adolescentium manipulus gloriosus et triumphans rediit scholam agitans appetitae, licentiae documentum arreptum ut vexillum; et ita magna cum sollertia primae transmissionis contextus orationis perscriptus est et huic faustae relationi ad perennem rei memoriam unificatus:

AD IMPERITURAM REI MEMORIAM

Hic primae Latinae transmissionis e radiophonica nostra statione integer pervulgatus contextus:

Locutor radiophonicus:

Hic Aquitana radiophonica nova statio nuper condita quae Latino sermone, nihil miri, transmittit, Latino sermone.

Haec prima Latina transmissio est radiophonica non solum e nostra statione, sed fortasse prima et unica in toto terrarum orbe.

Gratum nobis facietis - benevolae auditrices, benevoli auditores - si nostris Latinis transmissionibus audetis participare nobis vobis placebit, sive per epistulas sive telephonice sententiam vestram, qualiscumque erit.

Hic loquitur....nomen meum minime refert; verum fere dicam, date veniam, hic loquitur augustus Sermo Latinus, imperiturus Sermo Latinus, qui adulescentium Palensium audaci manipulo taediosa scholastica auditoria tandem reliquit et in hodiernorum hominum viventium in orbe unā cum ceteris linguis viventibus immittitur, ut sive nefandum "sermonis mortui" nomen sive iniquum "sermonis antiqui" nomen amittat et nomen verum "sermonis viventis" sumat, illud, quod per multa nobilissimaque saecula dignissime tenuit.

His praedictis, illustrissimo Lazaro Capharnaensi microphonium traditurus sum. Eum, quaeso, audite. Valete!

Vox Lazari Capharnaensis:

Haec mea prima hodierna Latina transmissio inscribi sane potest "Invectiva in Mortales", qua de rarissimo argumento agitur, quod nostrae transmissionis praecipuum est pretium.

INVECTIVA IN MORTALES

Quibus verbis pernotus ille evangelicus vir, qui unicus in terris e lapideo sepulchro ad vitam divinitus revocatus et immortalis factus contra mortales acerbè invehitur, quibus mors praecipuum est privilegium et de sua immortalitate non a se ipso impetrata dolenter queritur.

Verbum Lazari:

Verba mea attendite, felices mortales, illius Lazari verba, qui ad vitam terrestrem aeternam damnatus est.

Ab illo enim die, quo Iesus, flentibus mulieribus trementibusque Hominis discipulis exire e tumulo me iussit, ubi saxum ar-

canum in medium aperiebatur et alte sublevabatur illud marmoreum operculum et sudarii lintea coepta sunt moveri, nemo me unquam recordatus est.

Resurrexi equidem, at in oblivionem ego praeterii, nam illud mirum Christi miraculum implacabile aeternitatis mihi aperuit limen.

Verba Lazari attendite, gentes: Aetas mea integra manet, adulescentiae meae vigor immutabilis assiduus permanet, animus meus ad altiora constanter protenditur.

Per duo saecula vixi, quibus evolentibus scriptores evangelia apocrypha redigere vidi, arcana Faustiana mente fingere investigare daemonios, poenas, delicta, putea senioris senectutis perlustrare quoque vidi et audivi.

Calamitas mea non omnibus mortalibus adhuc bene est nota. Unicus integer a morborum bacillis percultus, quod morbis non licet me aggredi nec mihi ne aegrotationis ficta causa quidem pigrescere licet, et medici ipsi recusant, ne me visant, et ego solus inter vos aegrotantes pestilentiaque infestos vitam bene valentem adsidue ago.

At vos mortales meae valetudinis arguo ab Iesus Nazareni amoris impetu mihi donatae, cuius ardoris vos subito obliti estis.

Hic mille milia annorum erraticus ad quid iuvat? Fatalis fortuna ne subtilibus spiritibus quidem profuit, sicut ex.gr. Kafkianis hominibus qui in ludendo corruptā aleā utentes fraudare solent; si immortalem ostendissent me mortem requirentem, Sanatoris potentiam ostendere potuissem; tamen ignoratus sum. Lazari casus unicus fuit et in oblivione periit.

Omnium malorum meorum mulieribus meis dico tribuoque causas; nam istae querulae vanis complorationibus Nazarenorum rogaverunt ut me a marmoreo sepulchro et a linteis liberaret; ille commotus querelas suscepit et ego linqere debui stramentum sobrium; at omnes illae earumque filii et filiae et nepotes mortui sunt, immortalitas hereditate non consequitur neque ut eam in quosdam affines propellerem adeptus sum; affines mei

obtortis oculis me inspiciebant, meam valetudinem mirantes,
dum illi crescunt, et aegrotant, et moriuntur.

Abdendum mihi esset in ignei montis profundis praeruptis, ubi
tranquille meditari possem de inutilitate mea.

Sapiens eram, at nemini tradere potui sapientiam meam.

Conatus sum philosophorum pulsare portas, quibus meae condi-
tionis arcanum explicarem: illius Voltarii servus agaso cal-
ceis me reppulit, Kant ad vigiles me misit ut insanum, phi-
losophi evanuerunt nec mihi ulla superest vis ad eos inse-
quendos vel ad colloquendum cum eis.

Nedum valeo memoriis meis scribendis; historia viva ego vivus
sum et nolo e casu meo aliquid accipere.

Aeternos esse solos significat, omnia quae videtis, mortales,
iteratio est rerum gestarum, actarum, nihil novi homo inveni-
re potest.

Si mundus vi atomica exploderet, solus ego superessem et novi
aevi novus ero Adamus vel Noë.

Nec possum vobis, o felices mortales, extremum dicere "vale".

Vivite felices, o felices mortales, sine timore et sine la-
crimis, quia has solas res vobis invideo, timorem futuri tem-
poris et lacrimas amaras.

Verbum Lazari.

Hoc incredibiles nuntios, quos alii mirabiles sequuntur,
composuit Latinus facetus diurnarius

Antoninus Immé



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.
(ich abonniere RVMOR VARIVS
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift:

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

9+10/83

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMLXXXIII



RVMOR VARIVS



TOMUS 6

FASC. 43